

(8, 10)
DE

DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CVI SIMVL DOCENDI CONSI-
LIVM SIT OPORETEAT VTI
COMMENTATIO ALTERA

QVAM

P R A E S I D E

AVGVSTO BASILIO MANITIO
PHILOS. DOCT. LL. AA. M.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. V. S E P T B R. C I O I C C L X X X X V I I .

H O R I S P O M E R I D I A N I S

D E F E N D E T

R E S P O N D E N S

CHRISTIANVS AVGVSTVS FVERCHTEGOTT
T I E M A N N
DANNIGKONE SAXO
LITT. SS. CVLTOR.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZ SCHIE DRICHIL

PARTIS PRIORIS

SECTIO III.

De consilio docendi, quod simul sit oratori.

§. 71.

Spectatur in omni hoc libello orator, *cui simul sit consilium docendi*, ubi, quid sit docere, et quae doceantur, paullo accuratius videndum erit. Docere est impetriri cognitionem earum rerum, quas alter aut plane, aut ex parte ignorabat, aut quibus cognoscendis, amplectendisque impedimenta obstatant.

§. 72. Vbi doceri dicitur, ibi ex communii usu, cum discipulo cognitionem rerum hactenus incognitarum communicari, intelligitur. Etque ea cognitione vel intuitiva, h. e. rerum corporearum, atque in vniuersum externarum, quae cerni, tangi, atque omnino sensibus externis percipi possunt, cuiusmodi sunt ea, quae facta esse vidimus, audiuiimus; quo etiam pertinent, quae ore, scriptisue docemur de iis, quae sentiant, sciantque hac, vel illa de re alii; ea, quae docet historia naturalis, et mathematica disciplina, omnisque artium, opificiorumque tractatio, quae corpore fit, et instrumentis: vel intellectualis, quae est vel certa, et euidentia, vel probabilis.

§. 73. Certa, et euidentia est earum rerum, quas ipsi in animo nostro experimur, ut, qua ratione, et quibus ex legibus cogitet ani-

A 2

mus humanus, quid iubeat sensus recti praeiisque, quem moralem scholae dicunt, qui sunt impetus, motusque animo humano naturales. Nec minus certa sunt, quae ex legibus cogitandi animo humano scriptis necessario sequuntur, v. c. quum hoc sit, contrarium non posse habere locum; quum hoc, vel illud ab omnibus ratione praeditis fieri iure, ac bene non possit, id nec simpliciter, moraliterque bonum esse; atque eiusmodi alia, quae possunt certis, firmisque argumentis demonstrari, et euinci.

§. 74. Sed saepe ultra probabilitatem cognitio nostra non evicitur. Probabilia sunt, quorum contrarium non habere locum, demonstrari nequit, sed esse cogitari saltem potest. Nituntur ea potissimum conclusionibus, quae veris, iussisque a praemissis procedunt, sed in quibus subsuntio ab alio alter sit, probatur ab hoc, ab illo reprehenditur; cuius generis sunt pleraque, quae de religione sola ratione duce statuntur. Probabilia interdum nonnisi conjecturis nituntur, e. c. huius facti hunc finem esse posse; qui ita egerit, eum ita animatum esse posse. Huc etiam pertinent merae hypotheses, quae philosophis dicuntur, veluti, quum naturae effectuum nobis occurrentium, quos ex notis naturae viribus explicare non possumus, vim quamdam peculiarem causam esse sumimus. — Neque semper rerum ipsarum communicatur cognitio, sed hominum de iis opinionis, vbi scilicet aut de hominum opinionibus enarrandis agitur, aut res ipsa cognosci nequit.

§. 75. Ea vero omnia non possunt doceri, nisi ignorata sint. Plane ignorantur, quae quis numquam vidit, audiuit, et omnino sensibus externis percepit, quae nondum obseruavit, de quibus nondum cogitauit, quae non intellexit. Ex parte ignorantur, quae non omnino scimus, aut non satis recte, aut non satis clare. Non omnino scimus, si obiter tantum, non accurate, si figuram, non qualitates, si genus, non formas, si partes, non totum, si caussas, non effectus, et vice versa, vi tonitru; non caussas, atque originem, animalia quid sint in uniuersum; non singula pecudum genera. Non satis recte, si

5

in quibusdam vera cognoscimus, in quibusdam erramus, si externam speciem non satis a vera rei natura, si diuersos certitudinis gradus non dignoscimus, vt quum probabilia pro euidentibus, credenda pro scendis, et cognoscendis habemus, quum Deum spiritum, sed tamen humano more sentientem, et cogitantem putamus. *Non satis clare, h. e.* ita, vt possimus ab aliis rebus distingui generem, formam, qualitatibus necessariis, veluti, vbi, quale intersit inter honestatem, utilitatemque discrimen, ignoratur.

§. 76. Sunt et quibus, quamquam possint per se cognosci, praedictae opiniones, errores, pravae consuetudines oblit, et quae vt doceantur, ideo sit opus. Omnino *opiniones praedictae* eodem cum veritate loco habentur, (§. 40.) nec, quae obstant, audiuntur. Ita contemnit doctrinae magno veritatis cognitioni est impedimento: efficit enim, vt docti homines ne audiantur quidem lubenter, nec examinentur eorum argumenta, quamvis capi, ac perspici a populo possint. Eadem est errorum vis ad impedientiam veritatis cognitionem: qui eo sunt periculostiores, quod meditatio, disquisitioque praecessit, quae veritatis repertae opinionem gignit, nec dubitari de iis, quae ex primis erroribus sequuntur, patitur. Ita, qui semel persuasum haber, imbecillitas humanae non esse virtutem colere semper, et indecessus, ei de nullius difficultioris officii obligatione persuadebitur. Tandem pravae quoque consuetudines officiunt, quominus aut omnino, aut recte cognoscatur veritas. Sunt eiusmodi pravae consuetudines vitia, quibus ita indulget, adsuetisque animus, vt ea omni modo excusare ac defendere conetur, nec ea, quibus ista reprobantur, intelligere, et cognoscere velit. Sic vinolentus haud facile fidem habebit medico monenti, nimium vini usum sanitati nocere: intemperans, iracundus aut non cogitabit de intemperantia, atque iracundia, utrum licet sint, nec ne, aut habebit, quibus vel omnino haec vitia excusare, aut quibus sibi plus aliis hac in re licere studeat probare. Necesse igitur est, vt et hi omnes, quibus ista impedimenta obsunt, doceantur, sed impedimentis sublati, i. e. opinionum praediicio, errorum fallacia, consuetudinum prauitate detectis.

§. 77. Tandem doctoris quoque est non semper noua docere, sed et cognita in memoriam reuocare, primo, ut notis ignota iungat, nesciisque cognitionis bene congruentem et reddat, et animo offerat; (quae tamen reuocatio proprie non docet: nam non tam nota, quam ignota docentur) dein ut (quod proprie ad docendi negotium pertinet) quae olim sunt docta, eo altius menti imprimantur: quo enim quid magis est nouum, cognitique difficile, eo magis repetitione eget, quae alienas ideas, ac peregrinas familiares animo reddit, difficiiores cogitandi consuetudine faciliores.

§. 78. Spectatur denique orator, cui simul sit consilium docendi: ergo non vnic: ita enim orator non esset, sed doctor. Vtitur autem orator, ut §. 63 seqq. ostensum est, genere dicendi perspicuo, copioso, ornato, quod ex communi loquendi vsu ita ad oratoris pertinet notionem, ut, eo demto, quisquis aliud sit, non orator. Quod si igitur ita sit materia, in qua veretur doctor, comparata, ut copiam illam ornatumque tractationis non admittat, nec oratori, qua tali, consilium ea docendi esse potest. Sed potest, debetque oratori, qui docere vult, simul consilium esse cohortandi, ut quid faciamus, petamus, amplectamur, monendi, ne quid fiat, aut petatur, mouendi rei pulchritudine, foeditate, utilitate, vel damno, miseria, vel splendore propositis: quae omnia, quamquam in docendo versantur, tamen tractationem oratoriam et admittunt, et desiderant.

P A R S P O S T E R I O R.

QVALE SIT ILLVD DICENDI GENVS VERE PO-
PVLARE QVO ORATOREM CVI SIMVL DOCEN-
DI CONSILIVM SIT OPOSTEAT VTI

§. 79.

Qum, notionibus, quae insunt in propositione, ita enucleatis, qua de re agatur, quid postuletur, appareat; hac altera parte, quale sit illud dicendi genus populare, quod ei, quem dicimus, oratori convenire videatur, certius faciliusque exponi poterit.

§. 80. His igitur notionum finibus positis circumscripsi, quem ad suum quisque orator populum peculiarem habere respectum debet, ante putamus docendum, quam, quale sit illud dicendi genus, populo vniuerso spectato, oratorique ei, quem diximus, congruum, explicetur.

S E C T I O I.

*De respectu ad populum cuiusuis coetus peculiarem, diuer-
susque populi classes habendo.*

§. 81.

Est populus, vt supra §. 52 seqq. ostensum est, diuersis locis, imo diuersis in coetibus diuersus, atque in eiusdem loci, ac coetus populo differunt inter se diuersae huius populi classes, quas orator, ne inepit agat, atque ipse sibi desit, cognitionis, aetatis, et conditionis ci- vilis habita ratione sibi constituet.

§. 82. Ex cognitione, h. e. ita, ut quid, quantum, quomodo sciant
capiantque, quaeratur, et vniuersus populus qui oratori est tractandus,
et singuli sunt iudicandi. In quo videndum est, quae nam fuerit edu-
catio, et prima institutio, an vitae, quam quis amplexus sit, gene-
ri, arti, quam quis tractet, sit quidam cum litterarum studiis nexus?
an legat? et quae? et quomodo? vtrum libros ad docendum, an ad
delectandum compositos? vtrum temporis terendi, an utilitatis per-
cipienda gratia? vtrum fugitiuo oculo, an accurate, considerate,
cum consilio, et delectu. Ex aetate, si quaerat, vtrum cum adoles-
centibus, an viris, an senibus sit agendum? Ex conditione ciuili:
vtrum sint domini, an servi, an rustici, an opifices, an mercatores,
an milites? et sic porro.

§. 83. Quarum diversarum classium diuersissima, si aptam veli-
mus esse, tractatio erit. Quodsi enim velis cognitionis rationem habere,
qui plus sciunt, alia docendi sunt, quam qui minus. Qui legunt,
et quaedam de doctorum hominum litibus, disputationibusque cognoscunt,
multa recte cognoscunt, in quibus alii errant, in multis, no-
vandi studio abrepti, aut quod quaedam inconsideratus prolati
male intellexerunt, errant, quae rudiores rectius vident: cum aliis
ergo erroribus apud hos, cum aliis apud illos pugnandum, cum
antiquioribus plerumque apud hos, cum recentioribus apud illos.
Illorum saepissime disquisitionibus freno, horum, calcaribus opus est.
Cultiores plerumque ad mollitatem quamdam animique affectiones cum
ea coniunctas inclinantur, rudiiorum voluptates sunt crassiores, com-
motiones animorum vehementiores: neque igitur in iisdem animis
perturbationes exchandae, lenientiaeque eadem.

§. 84. Multum quoque interest oratoris, auditorum *aetatem* spe-
ctare. Adolescentes enim nec ea experientia vtuntur, nec ea cum dili-
gentia, ac circumspectione in veritatem inquirunt; sed impetu quo-
dam, quae primo adspectu probantur, arripiunt, arrepta facile cum
aliis commutant: sunt enim omnino leviores, nec opinionum, super-
stitionumque tenaces, libertatem, laetitiam, delectationes, voluptates
primo

primo loco habent, hanc potissimum vitam cum suis commodis, gaudiisque spectant, quippe cuius maximam partem adhuc expectent, ad quemque accipienda, et facienda sunt parati. Facili igitur negotio potest illis de veritate persuaderi, possunt eorum errores refelli, duci animus ad bona, et via libera patranda, dummodo in iis et rectam ad felicitatem viam, et veram libertatem inesse probetur. *Viri*, sua experientia gaudent, glorianturque, nec sine diligentiori examine sibi persuaderi patiuntur, firmiores sunt in opinionibus tuendis, tenendisque, nec tam in laetitia, et voluptatibus, quartum alia cum alia facile commutatur, felicitatem ponunt, quam in honore, potentia, vitae commoditatibus, quae non sunt ita multa, ac varia, vni homini propria, ut tam facile videantur deferenda: quae faciunt, ut haud ita protinus doctoris cedant auctoritati, velint quendam sibi haberi honorem, satis firma argumenta desiderent, quibus excutiantur errores, frangantur animi motus. *Senibus*, quum plerisque, quae adolescentibus virisque valde videntur optanda, haud amplius inoueantur, sintque omnino animo placido, tranquillo, opinionum tenacissimo, pleraque ipsis apta non conueniunt, nec sine magna oratoris modestia, summisque argumentis, iisque sine impetu, et quamquam fortiter, tamen placido ore prolatis poterit persuaderi, placebuntque potius, quae ex vitae ante actae experientia, atque futurae expectatione petuntur.

§. 85. Eorum officia quoque inter se haud parum differunt. Adolescentum est diligenter ad futurum vitae genus praeparari, corporis, animique viribus excolandis, augendis, ea, qua opus est, cognitione colligenda, facultatibus, quibus aliquando vtendum est, exercendis. Virorum rem familiarem bene administrare, familiae prouidere, artem, quam tractant, bene exercere, officiis, quibus vel publice, vel priuatim obstringuntur, satisfacere. Senum familiae, et necessariis exemplo, consilio esse, sapientia, tranquillitate, virtute vitae exitum ornare, futurae rite praeparari.

§. 86. *Conditionis civilis* magnam esse vim ad cognoscendi, sciendi, cupiendi diversitatem, experientia docet quotidiana. Ut enim

obiter tantum moneamus, plerumque seruos, rusticos, opifices, nec educatione, nec scientia ea, qua heros, urbano homines atque cultiores alios gaudere, liceat obseruare, eos officiis, cupiditatibus, virtutis duci valde diuersis. Seruis fides, obsequium, labor strenuus commendanda, heris iustitia, indulgentia, amor in seruos. Rustici monendi, vt intra ordinis, locique, quo sunt positi, fines se contineant, fideliter, ac sine dolo faciant, et praestent, quae ipsis publicae utilitatis causa imposita sunt, agriculturae summo cum studio, et opere vacent, frugibus, alisque alimentorum generibus bonis producendis, quam fieri possit, optime tuendae resp. inferuant. Opifices, quae facienda promiserint, eo, de quo conuenit, tempore, quam possunt optime, ac sine iniusto lucro exhibeant. Mercatores, vt, quas venales proponant, merces bonas, iusta mensura, pondere, exhibeant, publicis necessitatibus optime prouideant, pecunia, quam conflent, ad iuuandos, sustentandosque egenos, et leuandos eos, qui plus ipsis virium, temporis, laboris, ac molestiae, publicis commodis dicent, ad fidem reipublicae auctoratemque etiam apud exteros seruandam, sustentandam, augendam vtantur.

§. 87. Horum ordinum quisque errores, ac vitia habet pecularia. Ita serui, et rustici semper fere se putant opprimi, semper fere heris, insigniorique loco positis inuident, furtar minora, dolum, falaciam, negligentiam, desidiamque in praelatis licere opinantur. Opifices saepe, et mercatores lucri faciendi iustitiam, et honestatem parum curant, angustias, aerumnasque, quibus vident miseros laborare, si non augere, saltem non leuare, vt ipsis inde maiorem capiant fructum, non dubitant, opibus aut ad luxuriam, superbiamque, aut ad auaritiam nutriendam abutuntur. Cupiunt serui, et rustici vitam commodiorem, licentiam, voluptates crassiores, mercatores diuitias, potentiam, honores, voluptates exquisitiores: vnde inuidia, intemperantia, superbia, auaritia oriuntur.

§. 88. Quam diuersitatem qui cognoverit, nec omnibus omnia, nec eodem modo, sed singulis classibus singularia esse proponenda,

— ■ ■ —

intelliget. Quare bene agunt, qui, vbi licet, ad diuersas hasce clas-
ses separatum verba faciunt. Quamquam enim homines, cognitio-
nis, vtiiorum, et talium complurium habita ratione, non possunt sine
magna oratoris immodestia, auditorumque offensione ita separari, vt
hodie rudiiores, cras periores, hodie violenti, cras auari tracten-
tur; seorsum tamen cum parentibus, liberis, adolescentibus, viris,
senibus, feruis, heris, rusticis, opificibus, mercatoribus, militibus pos-
set agi, et agitur iam, saltem ex parte, hic, vel illic, vbi concio-
nes peculiares familiis dicantur, in pagis, vbi plerumque rustici soli, in
scholis quibusdam publicis, vbi interdum hac, vel illa occasione da-
ta, et in iis scholis priuatis, in quibus vniuersae educationis cura
habetur, vt Schnepfenthalensi, vbi ex instituti rationibus, statim diebus
separatum verba ad adolescentes sunt. Quae vt interdum, ac saepe
ad omnes classes seorsum fierent, eo magis optandum esset, quod
singulae classes hic, et illic latius in dies videntur discrepare, et quod
eiusmodi coetus separati a variis ordinibus, classibusque quotidie ma-
gis optantur, atque ineuntur.

§. 89. Accedit, quod singularia ista melius vniuersis capiuntur,
et intelliguntur. Sunt enim singularia proprius, arctiusque cum eius,
ad quem pertinent, rationibus, omnique experientia coniuncta, pos-
suntque manibus quasi deprehendi, facilissimoque negotio examinari.
Vniuersa quum sint remotiora, nec raro ab omni sensu abstracta, ver-
sentur in communibus aliecius rei qualitatibus, et maius cogitatio-
nis postulent acumen; non ita, vt singularia ista, alliciunt, mouen-
tque. Est quoque saepius singularium proponendorum maior, quam
vniuersorum, utilitas: est enim quisque ea conditione, omnibusque
rationibus, quibus vtitur, ita quasi circumfusus, vt intra eas omnia
faciat, videat, sentiat, vitae v. g. molestiam, iucunditatemque non
tam ex iis, quae possint omnibus hominibus tristia, vel grata acci-
dere, quam ex iis, quae ipsam, et sui similes maneant, iudicet, be-
ne faciat eo modo, iis viribus, opibus, quibus ipse possit, atque adeo
opus ipsi sit, vt quae vniuerse de officio disputantur, ad eius ipsius
applicentur rationes.

§. 90. Vbi vero seorsum diuersas tractare classes non licet, potest tamen in materia diligenda modo huius, modo illius classis haberi ratio, ita, vt data occasione ante annuncietur, proximam orationem huic potissimum, vel illi auditorum classi esse destinatam, aut ita, vt singularis quidem classis spectetur; sed tamen reliquis simili sit usus inde capiendus, vt si de adolescentium officio, vitiisue sit sermo, in fine adiiciatur, quid sperare possint, et postulare parentes, quae sit ipsis cura liberorum habenda: vbi de seruorum officio, adiiciatur, quae vere sint heris iura, cur, et quomodo aestimandi, amanter, iudicantur tractandi serui: vbi de honore senibus habendo, moneatur, quanti inferuntur summo studio niti, vt hoc digni honore euadainus, et similia.

§. 91. Neque vero *vniuersa*, vniuersis his populi classibus plane non sunt proponenda, atque omnino negligenda. Vniuersa scilicet dicimus, quae ad omnes pertinent, quatenus sunt homines, Christiani, ejusque, et quae principia continent, et elementa, vnde singularia illa ducuntur. In quo etiam causa inest, cur vniuersa illa sunt tractanda. Qui enim est parentis, filius, herus, servus, rusticus, opifex, is nec homo, nec Christianus, nec ciuis esse desinit, imo id summo eum studio cauebit, ne his rationibus vtens, humanam subuertat naturam, h. e. ne omnino supprimat instinctus naturales, nec omnino desit naturae humanae necessitatibus, iustisque desideriis satiandis, et iuribus feruandis, ac tuendis, quae viclum necessarium, felicitatem, fentiendi, dicendi, veri cognoscendi, virtutis colendae, perfectionis augendae libertatem spectant, nec dignitatem humanam, quae cernitur potissimum in rationis bene exultae imperio, inque perfectionis in dies augendae facultate, minuat, impeditaque; videbit, ne quid faciat, quod cum Christianae religionis praeceptis pugnet, nec ciuitatis violet leges, nec omnino negligat, quae boni, h. e. patriam

amantis, sunt ciuiis; sed id spectabit, vt parens, herus etc. sit talis, quem leges volunt, suaque conditione omni ad commodum publicum iuvandum vtatur. Vniuersorum igitur usus ad omnes, singularium ad singulas classes pertinet, nec, quod sine his illa non semper recte applicantur, omnino negligendus videtur; quam tamen possint sine his singularibus vniuersa recte applicari, et applicentur ab auditoribus quibusdam, et, his iuncta, a pluribus.

§. 92. Praeterea singularia illa, quae in singularium classium commodis docendis, animo tranquillando, beando, officiis exponendis, cognitione augenda, et eiusmodi rebus versentur; non nisi ex vniuersis posse peti, facile appetit. Commoda enim sive animi sunt, sive corporis, omnisque externi status, non possunt esse, nisi eiusmodi, quae omnino corpori, animo, rebus externis profundunt. Animus singulorum erigi ad tranquillitatem, et felicitatis fructu beati nequit, nisi modo ad vniuersam animi naturam compostio, iisque argumentis, quae omnino ad tranquillitatem, felicitatemque augendam valent. Officia, etiam si sunt talia, quae ad singulos vnicem pertineant, tamen ex iis argumentis sunt deriuanda, quae, vbi locum habent, vniuersos obligant. Cognitio iusta ratione non augetur, nisi ab iis procedatur, sine quibus ea, quae inde sequuntur, aut iis sunt nexa, nec intelligi, nec probari possunt. Alias enim, quae commendarentur, nec possent semper commodorum loco haberri, nec veram tranquillitatem, ac felicitatem, easque durabiles praebere, nec obligare semper, et omnes, ea conditione vtentes, nec verum cognitionis fructum praebere, quippe quae citius, tardiusue cum natura humana viderentur pugnare.

§. 93. Recte igitur exponuntur, e. c. quae ad vitam vere fortunatam, contentam, beatamque pertinent, philosophiae religionisque

Ma decreta de rerum externarum vanitate, ac fragilitate, de prouida Dei cura, sapientia, benignitate, de spe immortalitatis, et similia. Non inepte tractantur decreta de verae virtutis indole, de temperantia, iustitia, sanctitate, vniuerso speciebus, de felicitate, quae certo virtutem sequatur, de obedientia Deo debita, de grati in eum animi significacione, quae aut obligant, aut incitant ad virtutem colendam, et communes virtutis notas exhibent, ad quas, quae singulis, hac, vel illa conditione vtentibus, commendantur, examinari, iudicari, definiti queunt. Non abest a populi rationibus doceri, quae omnino summi Numinis perfectioni conueniant, quo sit in homines animo, quae cognoscenda sint in religione, quae credenda, quibus argumentis probetur, confirmetur, defendatur religionis veritas; ad quae in singulis decretis docendis, enucleandis, amplificandis semper est redeundum.

§. 94. Neque vero vereor, ne quis vniuersorum istorum tractationem, quum ea in prima institutione cum quouis esse communicata, ponere possumus, superfluam esse obiciat. Ut enim discedamus ab eo, quod pauci vtuntur ea institutione, qua ista satis saepe, satisque diligenter excutiantur, tractenturque, vel ob temporis breuitatem discipolorumque immaturitatem satis tractari possint; iam ideo, quod haec vniuersa plerisque captu sunt difficultiora, et quod sempiternus est eorum ad singularia vel probanda, vel illustranda usus, opus est, vt repetitione clarius illustrentur, altiusque imprimantur.

§. 95. Ea igitur sechio, quamvis nonnisi in singularibus expoundis versetur, respectu scil. ad singulas populi classes habendo, potuit tamen materiae vniuersaliori tractandae, h. e. quaestioni de iis, quae vniuerso conueniant populo, praemitti; quum ita ex iis, quae parte priori de populo sunt dicta, sequantur, vt satis iam sint clara.

Videbantur quoque praemittenda esse, ut maior materiae nostrae pars, agens de eo dicendi genere, quod populo vniuerse spectato sit aptum, continua serie posset tractari, nec opus esset, aut tractationem ipsam exceptionibus, restrictionibusque interrumpi, aut eas in calce libelli adiici, quod sine multorum repetitione fieri non potuisset.

§. 96. Restat huius partis sectio altera, quae longe maxima est, et de dicendi genere populari vniuerse spectato ager ita, vt, quae materia, quae tractatio, quae elocutio populo sit accommodata, exponatur. Vbi in materiam inquiretur, docebatur, et quae sit in vniuersum materia popularis, et quomodo tractanda sit accommodate ad ea, quae sciat, et intelligat populus, ad modum, quo sentiat, cogitetque, ad ea, quibus moueat. Tum tractationi populari quae conueniat argumenteretur, omnisque materiae copia, qui ordo, denique quam elocationem capiat populus, quae ipsi placeat, exponetur, discriminis, quod inter hoc genus, et sublime aequa, ac plebeium intercedat, habita simul ratione: Quae quum finibus huic libello positis includi nequeant, proximae occasioni datae erunt seruanda.

C o r r i g e n d a:

Commentat. I. pag. 10. §. 22. lin. 2. deleatur: , et.

Commentat. II. p. 4. §. 75. lin. 2. pro et legatur nec.

... etiam quod est in libro de laudibus sanctorum. In libro de laudibus
sanctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-

ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-
ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-
ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-
ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-
ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-

ctorum dicitur. Quia sicut enim in libro de laudibus
sanctorum dicitur. In libro de laudibus san-

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



3

f

TB>000

86.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DE

DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CVI SIMVL DOCENDI CONSI-
LIVM SIT OPORTEAT VTI

COMMENTATIO ALTERA

QVAM

PRAESIDE

AVGVSTO BASILIO MANITIO

PHILOS. DOCT. LL. AA. M.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. V. SEPT B R. CICLO CCLXXXVIII.

HORIS POMERIDIANIS

DEFENDET

RESPONDENS

CHRISTIANVS AVGVSTVS FVERCHTEGOTT
T I E M A N N

DANNIGKONE SAXO

LITT. SS. CVLTOR.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.